



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Quæstio Prima. De Natura, & Conditionibus legis in Communi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura, & Conditionibus Legis in communi.

Lex variis nominibus appellari solet, videlicet Jus, Constitutio, Statutum, Sanctio, &c.: Dicitur Jus, tum quia jubet, & imperat; tum quia intendit unicuique tribuere jus suum: Dicitur Constitutio, seu Statutum, quia constituit, & statuit, quæ facienda sint, vel omittenda: Dicitur Sanctio, quia sancit pœnam non obtemperantibus, ex leg. Sanctio §. de Pœnis; Solent tamen appellari proprie Jura leges latæ a Supremo Principe sæculari, hoc est, ab Imperatore, vel a Rege; Dicuntur vero proprie Constitutiones leges latæ a Pontificibus; Legesque latæ a Principibus inferioribus, sicut etiam decreta Populorum dicuntur Statuta. His præjactis, discutiemus primo, Quid, & quotuplex sit lex? Secundo, Qualis esse debeat? Debet quippe esse justa, ac respiciens commune bonum, indigetque promulgatione, ac lapsu certi temporis, ut obliget; Debet pariter esse usu recepta, de se perpetua, ac a legitimo Superiore lata. Quærendum etiam, Quænam sit ejus materia; Ac demum, Quinam possit leges civiles ferre; Quinam vero Ecclesiasticas? Sic etiam naturam, condiciones, & causas legis assequemur.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Lex?

- I. Explicatur Legis definitio.
- II. Ea consistit tum in actibus intellectus, tum etiam voluntatis.
- III. Ut Lex obliget, necesse est, ut publicetur, & quod a Superiore feratur.
- IV. Lex omnis respicere debet bonum Communitatis; Quod pariter de Privilegio dicendum, si habeat rationem legis privatae.
- V. In quo differat Lex a Consilio, Pœnitione, ac Præcepto?
- VI. Num obliget Lex, de qua dubitatur, an sit utilis Communitati?
- VII. Ad legem ferendam non satis est potestas dominativa, sed requiritur potestas politica, & Jurisdictionis.
- VIII. Habens notitiam legis late illa non obligatur, antequam Communitati publicetur.

IX. Dividitur Lex in Divinam, Naturalem, & Humanam.

X. Necnon in Jus naturale, Jus Gentium, & Jus civile.

XI. Sicut etiam in Affirmativam, & Negativam; Odiosam, & Favorabilem.

XII. Quid, si dubietur, an Lex sit odiosa, & eatenus restringenda?

I. **D**efinitur communiter ex D. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 4. Lex, quod sit *Ordinatio rationis a Superiore promulgata ad bonum commune*: Et Suar. libr. 1. de Legib. cap. 12. clarius illam definit dicendo, quod Lex sit *Præceptum commune iustum, ac stabile sufficienter promulgatum*; Explicatur communis definitio; Dicitur primo, quod Lex sit *Ordinatio rationis*, cum sit quædam directio, seu regula, qua Subditi recta ratione diriguntur. Dicitur autem, quod sit *Rationis ordinatio*, ad significandum, quod lex sit actus intellectus;

A 3

4
 tus; Lex enim est quaedam regula agendorum, regula autem a ratione, seu ab intellectu praescribitur; Concurrunt autem cum intellectu etiam voluntas Legislatoris, dum intendit obligare.

II. Hinc dubitant Theologi, Utrum lex consistat in actu intellectus, an voluntatis? Valent. Becan., Cajet., Azor., & alii apud Salas putant consistere in solo actu intellectus judicantis, rem imperatam per legem esse convenientem bono communi; Gabriel, Major, & alii apud Suar. putant consistere in solo actu voluntatis intendente obligare. Verius Suar. docet in utroque actu, intellectus simul, & voluntatis, consistere; quia per solum actum intellectus Superior non obligat, & per solum actum voluntatis non ordinat, & disponit; ergo, ut ordinet simul, seu disponat, & obliget, uterque actus requiritur: Per actum intellectus judicat, legem illam esse convenientem Reipublicae; aliter imprudenter, & injuste legem ferret absque hoc judicio, & illo deficiente, lex esset nulla, utpote injusta; Deinde per actum voluntatis vult subditos obligare ad legis observationem.

III. Dicitur secundo, *Promulgata a Superiore*; nam nisi superior explicet signo externo voluntatem suam, non poterit subditos obligare; Quare promulgatio est conditio essentialiter requisita, ut possit lex obligare: Debet etiam lex esse a Superiore habente potestatem obligandi, seu, ut loquitur D. Th., ab eo, qui curam habet Communitatis; tum quia si legislator careat potestate obligandi, non obligat; tum etiam quia lex est actus Jurisdictionis, ex leg. 1. ff. de Jurisdictione omnium Judicum; actus autem jurisdictionis solum exerceri potest ab eo, qui curam habet communitatis, & potestatem habet obligandi.

IV. Dicitur demum, *Ad bonum commune*, ad ostendendum finem, propter quem lex ferri debet; Quamvis enim aliqua leges videantur immediate respicere bonum particulare, ut sunt leges conditae in favorem pupillorum, minorum, Ecclesiasticorum, &c., tamen istae etiam spectant ad bonum commune, non quia bonum partis est bonum totius, ut quidam putant; sed quia immediate spectat ad bonum illius particularis communitatis, videlicet omnium pupillorum, Minorum, &c.; necnon etiam quia cuilibet evenire potest, ut sit ex illa Communitate: Hinc ideo lex de facienda eleemosyna dicitur utilis bono communi, quia quilibet potest esse pauper; Lex ipsa vectigalium, quae videtur gravare subditos, etiam respicit bonum Communitatis, quia nihil utilius Communitati, quam esse defensam, ad cujus finem tributa imponuntur; & lex praescriptionis, quae pluribus est damnosa, utilis est Reipublicae, quia pacem constituit vitando lites; non secus ac lex punitiva damnosa est delinquenti, utilis vero Reipublicae. Demum Privilegium, si detur Personae particulari, non habet rationem legis; Si vero detur alicui particulari Communitati, dici potest lex privata, eo quod respiciat bonum illius communitatis, de qua quilibet esse potest; Ut privilegium, quod datur Regularibus, dicitur lex privata; quilibet enim potest fieri regularis, & tali beneficio gaudere.

V. Ex dictis sequitur primo, differre legem a Consilio, Petitione, & Praecepto; quia licet per ista possit aliquis dirigi, & ordinari ad recte operandum, tamen Consilium, & Petitio non debent necessario esse a Superiore, cum possint etiam haberi ab aequali, immo etiam a Subdito; Praeceptum vero, licet debeat esse a Superiore, at non est a Superiore

riore respiciente bonum commune; satis enim est, quod sit in bonum specialis illius personæ, cui præceptum imponitur. Deinde Præceptum imponi potest personæ particulari; Lex vero semper imponitur Communitati: Demum præceptum expirat morte præcipientis; lex vero, cum sit perpetua, ac stabilis, morte Legislatoris non finitur.

VI. Sequitur secundo, legem injustam, inutilem, & non faventem bono communi, Legem proprie non esse, atque adeo nullam obligationem inducere: Immo præcisè per hoc, quod sit inutilis, est injusta; quia sine ulla causa privat hominem libertate sua: Unde is, cui certo constat, legem aliquam esse magis noxiam, quam utilem Communitati, & bono communi simpliciter conducere talem legem revocari, non tenetur præciso scandalo illam servare,

Si tamen dubium sit, An lex aliqua sit utilis Communitati? Docent communiter cum Suar., Sal., Bonac. contra nonnullos apud Pal. disp. 3. de Conscientia §. 13., & Dian. part. 4. tract. 3. resol. 9., servandam esse; tum quia possessio stat pro lege, quæ certa est, & incerta ejus excusatio; tum etiam quia in foro externo præsumitur in favorem Superiorum; Idem autem est judicium Fori interni, ac externi, quoties hoc non nititur in falsa præsumptione.

VII. Sequitur tertio, legem ab eo dumtaxat ferri posse, qui curam habet Communitatis non æconomicam, sed politicam, & jurisdictionis. Nam ii, qui habent potestatem dominativam, & æconomicam, ut parentes erga filios, Domini erga servos, Mariti erga uxores, &c., ex vi talis potestatis non semper attendunt bono Subditorum, sed proprio: Contra vero Superior habens potestatem politicam, & jurisdictionis debet in lege

ferenda semper attendere bono subditorum; aliter subditus obedire non tenetur.

VIII. Sequitur quarto, Promulgationem legis faciendam esse ipsi Communitati, non vero singulis. Ratio est, quia pro bono Communitatis fertur, & singuli non obligantur, ut sunt personæ particulares, sed in quantum sunt pars Communitatis; idcirco si quis habeat notitiam legis, antequam toti Communitati promulgetur, ea non tenebitur. Quia tamen Communitas perpetua est, ac stabilis, ideo lex debet esse stabilis, & juxta Panormit., & Navar. apud Pal., perpetua, itaut si pro determinato tempore lex feratur, potius præceptum, quam lex dici debeat: An autem requiratur acceptatio populi? dicemus infra, ex benignitate legislatoris aliquando requiri, non tamen de essentia legis; aliter non tam Superior obligaret Subditos, quam Subditi se obligarent.

IX. Porro dividitur primo Lex in Divinam, Naturalem, & Humanam, seu positivam; Divina est illa, qua Deus ipse indicans quid nobis faciendum sit, habet voluntatem nos obligandi ad ejus observationem; Talis erat lex vetus Mosaica, in qua Deus ritus Sacrificiorum, verbi gratia, præcepit; Et talis est lex nova Euangelica, verbi gratia, de Baptismo suscipiendo, de Eucharistia, &c. Naturalis lex est illa, quæ rationali naturæ indita est; quilibet enim habet dictamen quoddam rationis indicans quid honestum, & conveniens naturæ rationali sit, quid inhonestum, & disconveniens. Quia tamen dictamen est in nobis ab ipso Deo auctore naturæ, & est velut tubicen promulgans nobis legem æternam, seu voluntatem Dei, juxta illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, idcirco lex naturalis est etiam lex Divina. Propterea lex Divina dividi solet in Naturalem, & Positivam;

6
 vam ; illa præcipit quæcumque naturæ rationali convenientia sunt , ut præcepta Decalogi , &c. ; hæc vero præcipit , quod lege naturali sancitum non est , ut est lex de suscipiendo Baptismo , de præmittenda confessione Communioni , &c. . Demum lex humana , seu positiva est illa , quæ immediate ab homine provenit habente potestatem jurisdictionis , seu potestatem condendi leges , quibus inferiores gubernantur . Quia tamen Superiores alii sunt seculares , alii Ecclesiastici , ideo lex humana subdividitur in Ecclesiasticam , & Civilem ; Illa provenit a Christo Domino , tamquam ejus Auctore primo , & subditos ad supernaturalem finem dirigere intendit ; Illa vero attendit Gubernationi politicæ , & contendit homines in pace conservare . Unde fit , quod quando lex civilis est contra legem Canonicam , legi canonicæ potius , quam civili parendum sit .

X. Dividi secundo solet lex ex Ulpian. , & Justinian. in Jus naturale , Jus gentium , & Jus civile . Quid sit lex , seu jus naturale , & civile , jam explicavimus ; Jus vero Gentium est lex illa , quam omnes nationes naturali ratione ductæ constituunt , ex *leg. Omnes populi ff. de Justitia. & jure* ; qualis est lex illa , quod possessiones sint dividendæ ; quamvis enim ab initio omnia fuissent communia , tamen processu temporis omnes nationes judicaverunt possessiones esse dividendas ad pacem conservandam , & discordias vitandas . Dubitant hic Doctores , Num Jus Gentium dici debeat lex naturalis , an positiva ? Azor. & alii apud Sal. disp. 2. sect. 2. putant esse naturalem , quia ductu naturæ in illam omnes conveniunt : Valent. tamen , Salon. , & alii docent probabilius esse legem positivam , deductam tamen ex aliquo principio juris naturæ ; alioqui non bene divideretur lex in tria membra , videlicet in Naturalem , Gentium ,

& Civilem : Quibus adde , quod lex naturalis est invariabilis ; Jus vero Gentium de dividendis possessionibus non habebatur , quando omnia erant jure naturæ communia : Sic Legatorum admissio , paces , fœdera , servitutes , bella , contractus jure Gentium introducta sunt ; jus enim naturale ad ea non necessitabat , cum possint aliter homines gubernari ; usus tamen , & humanæ necessitates compulerunt Gentes ad ea jura sibi constituenda , ut loquitur Justinian. in §. *Jus autem , Institut. de jure naturali, Gentium , & civili* ; Alii tamen cum Azor. part. 2. lib. 2. c. 3. docent , Jus naturale dici id , cujus vestigium habetur in brutis , ut vim vi repellere , seipsum defendere , vitæ sibi comparare , noxia fugere : Jus vero Gentium esse id , quod solis hominibus a natura præscribitur , ut Deum colere , Parentes honorare , reddere unicuique quod suum est .

XI. Dividitur tertio in Affirmativam , & Negativam ; Illa præcipit aliquid ponendum , ut lex de audiendo Sacro ; Illa præcipit aliquid omitendum , ut lex de non furando , non fornicando , &c. . Dantur aliæ leges prohibentes contractum , aliæ contractum irritantes ; Aliæ præceptivæ , quæ obligant in conscientia ; Aliæ pure pœnales , quæ tantum obligant transgressorem ad pœnam , de quibus infra .

Dividitur demum lex in Odiosam , & Favorabilem ; ut colligitur ex *cap. Odia , de Regulis juris in 6.* , ubi dicuntur , Odia esse restringenda , & favores ampliandi . Odiosa imponit gravamen , a quo natura abhorret ; Favorabilis continet aliquem favorem .

Difficultas tamen non levis sæpe habetur in cognoscendo quænam lex dicatur gravamen , quænam favorem continere ; Nam sæpe lex , quæ unum gravat , alteri favet ; ut lex de solvendis tributis gravat subditos , & Principi est favorabilis : Sic lex imponens excom-

communicationem percipienti Clericum favet Clericis, & gravat delinquentes: Privilegium favet privilegiato, & gravat reliquos, qui ægre ferunt, quod ille a communibus oneribus eximatur: Proinde aliqui docuerunt cum Tiraquel., legem dicendam esse odiosam, & restringendam, si gravamen ferat, etiam si favorem contineat; Alii cum Panormit. censendam esse favorabilem, & ampliandam, si favorem contineat, etiam si ferat gravamen. Merol. cum communiore putat, inspiciendum esse finem primarium Legislatoris, itaut dicatur odiosa, si primario intendat gravamen, & favorabilis, si primario intendat favorem. Suar. tamen lib. 5. de Legibus cap. 2., & Pal. putant, proprietatem legis spectandam esse potius ex materia præcepta, quæ est materia intrinseca, & quasi natura legis, quam ex fine extrinseco Legislatoris; Nam vel inspicitur finis ultimus, & sic omnis lex esset favorabilis, quia omnis lex respicit essentialiter bonum Communitatis, atque adeo continet favorem; Vel attenditur finis proximus a Legislatore intentus, & sæpe lex odiosa intendit immediate favorem, & lex favorabilis gravamen; ut constat exemplis obviis; Nam dispensatio communiter censetur esse odiosa, & restringenda, cum sit vulnus legis, & contra jus; & tamen qui dispensat in lege, immediate intendit concedere favorem; Et idem dicas de lege correctoria juris communis: Contra vero lex imponens excommunicationem percussori Clericorum censetur favorabilis; & tamen immediate infert gravamen delinquenti. Quare dicendum cum Suar., & Pal. proprietatem legis attendendam esse ex materia præcepta, quæ si contineat magis gravamen, quam favorem, dicenda sit odiosa; ut lex imponens vectigalia, vel pœnas transfredienti aliquam legem: Secus vero

dicenda sit favorabilis, si potius contineat favorem, quam onus; ut lex signans taxam mercibus, & lex apponens solemnitates contractibus; Et ejusmodi communiter censetur esse lex imponens censuram percipienti Clericum; quia hoc potius cedit in favorem Clericorum, quam in gravamen delinquentium.

XII. Quod si dubium aliquando sit, an lex aliqua favorem potius, quam gravamen contineat, tunc dicenda est ex Suar. favorabilis; quia favor præfertur odio, eo quod de Principe potius beneficium, quam odium præsumendum sit.

ARTICULUS II.

De Conditionibus legis; Ac primo, quod lex debeat esse iusta.

- I. *Ad legis validitatem septem conditiones requiruntur.*
- II. *Debet quidem esse iusta. Quinque autem modis potest esse iniusta.*
- III. *Non tenemur legem injustam servare, præciso tamen scandalo.*
- IV. *Quid, si dubietur de legis iniustitia?*

I. **S**eptem sunt præcipuæ conditiones ad legem requisitæ. Prima, ut sit iusta. Secunda, ut feratur ad bonum commune. Tertia, ut sit promulgata. Quarta, ut lapsum sit tempus a Legislatore præscriptum ad obligandum. Quinta, ut sit usu recepta. Sexta, quod sit perpetua. Demum, quod a legitimo Superiore feratur: De quibus omnibus sigillatim agendum in sequentibus articulis. Postremam tamen conditionem opportunius explicabimus, ubi, exposita Legis materia, inquiremus, Quinam possit Leges condere.

II. Primo itaque, Ut lex sit valida, non solum debet esse utilis bono publi-

publico, ut supra diximus, sed etiam debet esse iusta: Multis autem modis potest esse iniusta, & sic invalida. Primo, si repugnet legi, aut Præcepto Divino; *Deo enim magis, quam hominibus obedire oportet*; ut dicitur Act. 4., Unde fit, nec vitium præcipi posse, nec virtutem prohiberi, nisi forte ob majus bonum. Secundo, si adversetur bono communi. Tertio, si excedat potestatem Legislatoris; Unde lex humana præcipiens directe actus internos est invalida. Quarto, si subditis onus imponitur improprietate causa; (ut si imponatur tributum supra necessitatem) vel si imponatur onus gravans subditos inæqualiter, non servata debita proportione; ut si magis pauper, quam dives gravetur. Demum dicitur iniusta materialiter lex, quæ fundatur in falsa præsumptione contra rei veritatem, quæ tantum innotescat illi, contra quem fertur lex; Et idem dicas de sententia Judicis; ut si Cajus per falsos testes convictus compellatur per sententiam ad solvendo centum, quos revera non debet.

III. Hinc fit, legem quocumque ex istis modo injustam non obligare in conscientia, nec esse servandam, præciso scandalo, & perturbatione Reipublicæ; Tum quia lex, ut obliget, debet esse Recta rationis ordinatio ad bonum commune instituta; Lex autem iniusta non est hujusmodi: Tum etiam quia quælibet lex est participatio legis æternæ, quæ iustissima est; unde lex, qua parte est iniusta, non obligat: Dixi tamen, *præciso scandalo*, quia ad vitandum scandalum servari debent leges, quæ sine peccato servari possunt; non quidem ex vi ipsarum legum directe obligantium, sed ex lege charitatis; quia scilicet mandavit Deus unicuique de proximo suo.

IV. Quæritur tamen, Utrum lex obliget in dubio, an sit iusta? Com-

muniter Doctores affirmant; (sicut etiam si dubitetur, an sit acceptata) quia possessio stare videtur pro lege, & pro potestate, quam habet Superior præcipiendi. Oppositum tamen sentiunt Joan. Sanch. disp. 53. num. 37., Palau. t. 1. disp. 3. punct. 7. num. 4., Valq., & alii apud Dian. part. 4. tract. 3. resol. 9., & Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Subditus*; quia nemo est in potestate præcipiendi ea, de quibus dubitatur, an sint licita, aut iusta; præsertim si ex obedientia grave malum imminet; videtur quippe prævalere in tali dubio libertas, & securitas subditi. Utramque sententiam censet probabilem Tambur. loc. laud. Equidem primam amplector, utpote verior, & communior. Sed iterum hac de re recurret sermo quæst. 3. art. 3. num. 4.

ARTICULUS III.

Quomodo lex respicere debeat bonum commune?

- I. *Num cessante fine legis in casu particulari desinat lex obligare?*
- II. *Num valeat lex, quæ uni Communitati est utilis, alteri vero noxia, si ab eodem Principe feratur?*
- III. *Num lex ab initio inutilis, si successu temporis fiat Reipublica utilis, incipiat tunc obligare?*
- IV. *Quid etiam de Voto, quod ab initio sit de re indifferenti, & successu temporis sit de meliori bono?*

I. **D**Ebet ex D. Th. 1. 2. quæst. 90. art. 2. Lex respicere bonum commune, eo quod sit regula totius Communitatis, illam dirigens ad finem publicum, quod est bonum totius Reipublicæ: Unde differt lex a privilegio; hoc enim respicit privatum bonum, quando particulari personæ confertur. Hinc inferunt Doctores pluri-

plurimi cum Merol.; quod cessante fine legis in aliquo particulari casu, non proinde cesset obligatio legis; quia lex primario ordinatur ad bonum commune, non privatum; unde quamdiu non cessat bonum commune, nec aliquid occurrit, ratione cuius servare legem non esset bonum commune, obligatio legis non cessat.

II. Quæritur nunc primo; An possit Rex ferre legem in bonum unius Communitatis, si illa redundat in damnum alterius Communitatis?

Respondent Suar. cap. 7., Merol., Salas distinguendo; Si enim Communitates non sint partes ejusdem Regni, sed per accidens ab eodem Rege gubernantur, ut sunt, verbi gratia, Regnum Neapolitanum, & Hungaricum, quæ diversis titulis ab eodem Rege possidentur; tunc certe talis lex esset injusta; quia non comparantur, ut bonum commune, & privatum, sed sicut duo bona privata; Cum una Communitas ad alteram non pertineat; & ita se habent, ac si duobus Regibus subessent: Contra vero, si duæ Communitates, puta duæ Provinciæ, per se sint sub eodem Rege, ferri potest lex uni Provinciæ utilis, alteri noxia, si omnibus pensatis prævaleat bonum commune; quia uniuscujusque partis bonum censetur privatum respectu totius Corporis politici, ad quod leges per se feruntur.

III. Quæritur secundo; An lex, quæ quando fuit lata, erat Reipublicæ inutilis, ac proinde invalida, incipiat valere, & obligare, si successu temporis fiat utilis?

Respondeo, Vasq., & Bonac. disp. 1. quæst. 1. punct. 1. affirmare, quod incipiente utilitate incipiat esse valida; Sicut docet Navar. cap. 12. Summæ de Voto, quod est lex privata; Si enim quis voveat, nunquam se ingressurum domum aliquam, idque nulla causa honesta existente, votum est

Pars I,

irritum, tamquam de re indifferenti; Si tamen postea habitet in ea domo scæmina, quæ sit occasio peccandi, incipit votum esse validum, & obligatorium.

IV. Sanch. ramen lib. 4. Summæ cap. 7. num. 19. probabiliter contra Navar. negat, hujusmodi votum, aut legem unquam valere; quia scilicet non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ex Regula decima octava juris in 6. Quod confirmatur, quia si lex feratur a non habente potestatem, ac proinde sit invalida, non incipiet eadem esse valida, si postea Legislator acquirat potestatem; ergo, si lex erit invalida a principio, quia non erat utilis bono publico, non erit postea valida, si fiat utilis; Nam in utroque casu deficit a principio aliquid, quod est de intrinseca ratione legis. Salas disp. 1. sect. 2. num. 51. docuit, etiam a principio, tempore, quo non erat utilis Reipublicæ, hujusmodi legem fuisse validam; quamvis non obligaverit pro illo tempore: Sed probabilior est sententia Sanch., quam sequitur Merol., & alij.

ARTICULUS IV.

De Promulgatione Legis.

- I. Non obligat lex, antequam publice promulgetur.
- II. Num debeat scripto Lex promulgari? Et in quo differat a Consuetudine? Quid de Privilegio absque scriptura concesso?
- III. Lex Episcopalis, aut Principis inferioris ubinam debeat publicari? Ubinam lex Imperatoria, aut Regia? Et ubinam lex Pontificia?
- IV. Qui per revelationem dumtaxat sciret legis promulgationem, num ea lege teneretur?
- V. Lex rescissoria contractus sufficienter pro-

B

pro-

promulgata irritat talem contractum postea celebratum, etiamsi invincibiliter ignoretur.

VI. Secus vero lex revocatoria Privilegiatorum.

VII. Quanam verba legis denotant, Legislatorem velle sub gravi obligare? Quanam vero velle tantum horzari, aut sub levi dumtaxat obligare?

I. **C**ertum est apud omnes, ad legis validitatem requiri ejus promulgationem; ut constat, tum ex definitione legis communiter recepta; tum quia ut obliget Communitatem, debet sufficienter proponi ipsi Communitati, & consequenter publicari. Unde Gratian. *Cap. In istis temporibus dist. 4.* dixit, quod leges tunc instituuntur, cum promulgantur. Nominine autem publicationis non venit solum denunciatio legis, quae fiat voce Praeconsis, sed etiam per hoc, quod affigatur loco publico, vel aliter juxta locorum consuetudines. Unde non est necesse, quod intimetur, sed satis est, ut publice promulgetur, itaut ad aures singulorum successu temporis possit pervenire: Quod si aliquis ante hujusmodi promulgationem sciat legem jam esse conditam, illa non obligabitur; Nemo tamen negat, quod possit Deus de plenitudine suae potestatis efficere, ut lex obliget Petrum, statim ac ad ejus notitiam pervenit, etiamsi non sit publicata; Et de facto lex naturalis dicitur ex D. Th. 1. 2. quaest. 90. art. 4. publicata hominibus per hoc quod Deus illam inseruerit hominum mentibus naturaliter cognoscendam; Quod si hujusmodi publicationis aliquis sit ignarus, adhuc lege naturali obligabitur per hoc, quod illam cognoscat.

Dices, *In cap. 1. de Postulatione Praelatorum* haberi, quod ad legem sufficiat, ut solemniter edatur, aut pu-

blice promulgetur; ergo non requiritur publicatio, sed vel publicatio, vel alia solemnitas.

Respondeo cum Azor. primo, quod ly *Aut* ibi sumatur pro *Et*: Secundo, quod illa particula *Aut* in aliquibus textibus non reperitur: Tertio, quod ly *Aut* idem sonet, ac *Sen*; illa tamen verba solemniter edatur sint synonyma cum illis aliis verbis, publice promulgetur.

II. Quæritur nunc primo, Utrum promulgatio legis fieri debeat scripto, an sufficiat fieri sola voce?

Respondeo, nonnullos apud Salas disp. 1. sect. 9. num. 64. requirere ad valorem legis humanae, quod scripto publicetur. Sed communiter negant: Philosophus enim 10. Eth. cap. 9. ait, *Scriptane sint leges, an non scripte, interesse nihil videtur*; & Demosthenes dicit, Lycurgum nullas leges scripsisse, sed memoriae Civium insculpendas tradidisse. Ratio a priori est, quia satis est manifestatio voluntatis Legislatoris facta Communitati, quam vult obligare, quomodocumque fiat. Neque dicas primo, Consuetudinem differre a lege, quod illa sit jus non scriptum, hæc vero jus scriptum. Nam licet lex vocetur jus scriptum, eo quod frequenter soleat scribi, differt tamen a consuetudine, quia lex initium habet a voluntate Principis manifestata subditis; Consuetudo vero a frequentatis actibus Populi cum existimatione obligationis, & cum voluntate solum implicita Principis, ut ea obliget.

Neque dicas secundo, Sententiam a Judice prolatam debere esse scriptam; ergo etiam lex. Nam disparitas est, quia in *Cap. final. de sententia, & rejudicata* dicitur, sententiam Judicis nullam esse, nisi scripto feratur; Quod tamen de lege nullibi statutum est: Sicut etiam statutum est, quod non sit valida possessio beneficii

cii a Papa obtenti ante expeditionem literarum, quamvis non sit id statutum in beneficiis obtentis ab Episcopo. Ex quibus sequitur, Privilegium absque scriptura concessum non expirare morte concedentis; quia Privilegium absque scriptura est validum, & Privilegium validum non expirat morte concedentis.

III. Quæritur secundo; Ubinam promulgatio legis faciendâ est?

Respondeo, & dico primo, promulgationem legis latæ ab aliquo Populo, vel Civitate, vel ab Episcopo, Archiepiscopo, aut a Principe inferiore faciendam esse in ipso Populo, Civitate, vel Curia Principis, Episcopi, aut Archiepiscopi, juxta consuetudinem locorum, quin opus sit, ut in singulis Oppidis, vel Civitatibus fiat promulgatio. Ratio est, quia communiter Doctores censent sic esse sufficienter promulgatam.

Dico secundo, promulgationem legis Imperatoriæ, aut Regiæ faciendam esse in singulis Provinciis; Unde lex Imperatoriæ, aut Regiæ non obligat subditos ejus Provinciæ, in qua nondum est publicata. Ita communiter ex Authen. *Ut nova constitutiones*. Et ratio ulterior est, quia sic usu recepta est, & quia Regna, & Provinciæ distinctæ censentur Communitates diversæ, unde distinctam promulgationem requirunt; Quamvis possit Rex, & Imperator velle, ut una publicatio satis sit pro omnibus suis Regnis, & Provinciis.

Dico tertio, promulgationem legis Pontificiæ, & Conciliorum faciendam esse in curia Romana; nec requiritur alia promulgatio. Ita communiter contra Angel., & alios apud Suar. lib. 4. cap. 5. & Dian. part. 1. tract. 10. resol. 8., requirentes promulgationem in singulis Provinciis, seu Archiepiscopatibus faciendam. Ratio est, quia sic usu receptum est; aliter, ut

notat Vasq., multæ Decretales, quæ alicubi non sunt promulgatæ, ibi non obligarent; quod nemo dixerit; & de factò Bulla Cœnæ solum Romæ publicari solet, & omnes fideles obligat. Adde, quod tota Ecclesia sub uno Pastore est perfecte unum Corpus mysticum, & una Respublica; unde satis est, quod promulgatio fiat in sola Metropoli talis Provinciæ, idest Romæ.

Neque hinc sequitur, nimis id onerosum esse, quod leges toto Orbe servandæ sint, si solum Romæ sint publicatæ. Nam lex Pontificia non obligat in actu secundo fideles, qui nesciunt ejus publicationem Romæ factam; Unde non peccant illas transgrediendo ante notitiam promulgationis, atque adeo nullum onus hinc sequitur importabile.

Objiçunt Authenticam laudatam incipientem, *Ut nova Constitutiones*, in qua jus civile requirit, promulgationem legum faciendam esse in singulis Provinciis; Jus autem Canonicum tacite acceptat, & vult servandum esse jus Civile in iis rebus, in quibus aliquid contrarium, aut diversum non disponit; ut ostendemus art. sequenti; Cum autem promulgatio in singulis Provinciis requisita non opponatur juri Canonico, nec bonis moribus, immo conferat ad majorem legum suavitatem, cum tollantur occasiones allegandi, & fingendi ignorantiam, sequi videtur, quod etiam in legibus Pontificiis requiratur promulgatio pro singulis Provinciis.

Huic tamen argumento respondebimus art. sequenti, ubi ostendemus requiri in legibus Imperatoriis duos menses.

IV. Ex dictis sequitur primo, quod qui per revelationem tantum sciret factam jam esse in loco debito legis promulgationem, tali lege teneatur. Ratio est, quia non requiritur, quod

humano modo veniat ad aures alicujus legis promulgatio, sed satis est, quod quomodocumque cognoscatur: Et eadem est ratio de præcepto Superioris, quod obligat subditum, quomodocumque hic cognoscat voluntatem Superioris; Ita communiter; quamvis probabilis sit sententia opposita Suar., & Cajet., quam exponemus art. sequenti, quod scilicet qui per revelationem sciret promulgationem legis, non teneretur illa, antequam humana posset notitia legis eo devenire.

V. Sequitur secundo, quod lex irritatoria contractus, si sit sufficienter promulgata, irritet contractus post promulgationem celebratos, quamvis a contrahentibus ignorata sit promulgatio, unde contrahendo non peccaverint. Sic, verbi gratia, Matrimonium clandestinum est nullum, ubi Tridentinum est receptum, quamvis ignoretur publicatio legis a Tridentino factæ. Ratio est, quia quamvis ignorantia excuset a culpa, & pœna, non tamen ab effectu legis, qui absque cognitione legis incurri potest, sicut est rescissio contractus: Et ideo donatio facta a Novitio ante duos menses Professionis est invalida, etiam si legem Tridentini ille ignoret; Et collatio beneficii facta illegitimo est invalida, quamvis collationis invaliditatem ignoret; Ac demum qui merces vendit majori pretio, quam ferat taxa jam promulgata, tenetur ad restitutionem excessus pretii, quamvis non peccaverit contra illam legem invincibiliter ignoratam; hæc enim restitutio non esset facienda ex injusta acceptance, atque adeo in pœnam, sed ex re accepta sine justo titulo.

VI. Dices; Leges revocatorie Privilegiorum, & indulgentiarum non statim obligant post promulgationem; ergo neque leges rescissoriae contractus. Antecedens patet; Nam si quis

habeat Privilegium absolvendi a reservatis, & post publicationem legis revocantis hujusmodi Privilegium invincibiliter tamen ignoratam, absolvat a reservatis, valide absolvit.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam: Disparitas est primo, quia privilegium est favorabile, & favores sunt ampliandi; Secundo in iis casibus non censetur Superior habere intentionem obligandi, antequam innotescat revocatio privilegii; alioquin plura incommoda sequerentur: Si enim Pontifex dat jurisdictionem ei, qui audit confessiones ex errore communi cum titulo colorato, ne sequantur in Ecclesia multa incommoda, a fortiori Superior in casu nostro jurisdictionem non revocat ante notitiam revocationis; plus enim est conferre, quam revocare; sed de hac re fusius in fine art. sequentis.

VII. Quæritur tertio; Quibusnam verbis Legislator sua lege dicitur non hortari, sed præcipere?

Respondeo ex Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 33. his, & similibus verbis: Præcipio, Jubeo, Injungo, Edico, Impero, Prohibeo, Interdico, Veto, Teneantur omnes: Quod si dicat, Volumus, Decernimus, Statuimus, Stabilimus, Monemus, Sancimus, Innovamus, hujusmodi verba sunt indifferentia ad significandum consilium, hortationem, aut præceptum, & idcirco nisi aliud addatur, semper standum pro libertate, ut non significant præceptum, sed consilium; Quod si addatur, In virtute Sanctæ obedientiæ, vel Spiritus Sancti, aut sub obtestatione Divini judicii, sub indignatione Apostolorum Petri, & Pauli, Sub interminatione gehennæ, clare præceptum significant: Dubitatur de verbis, Mando, & Debet. Sed communius docent importare præceptum. Dubitatur etiam de verbis imperati-

vis,

vis, Facite, vel Faciant, Solvant, &c.: Sed in his standum consuetudini locorum, vel attendenda est materia, itaut si sit gravis, importent præceptum, secus vero consilium. Nam si vellet Superior præcipere, uteretur verbis fortioribus.

Dubitatur demum, an quando Superior utitur verbis præceptivis, semper velit præcipere sub mortali? Aliqui docent in Jure Canonico præceptum semper esse sub gravi, secus in Jure Civili; Et probant, quia in Clement. Exivi, De Verbor. significat. declarat Pontifex, regulas Divi Francisci obligare sub mortali, ubi in iis habentur verba præceptiva. Sed communius docent, quod in materia gravi præsumendum sit Superiorem vel sub gravi præcipere, in levi sub levi; quia præsumendum est, quod velit se materiis rerum accommodare. Alii tamen apud Sanch. putant, quod Legislator non præcipiat sub gravi materiam gravem, nisi id explicet verbis clare exprimentibus obligationem gravem: Quare licet dicat, sub præcepto injungimus, poterit aliquando his verbis significari obligatio sub levi, quia potest etiam aliquid præcipi sub levi.

ARTICULUS V.

De lapsu temporis ad legis obligationem requisiti.

- I. Leges non obligare, nisi post duos menses a promulgatione in singulis Provinciis, non pauci docuerunt.
- II. At leges Pontificias post promulgationem factam in Curia Romana statim obligare, docent communius.
- III. Requiritur tamen aliquod tempus prudentium judicio statuendum, ut novæ legis notitia ad Communitatem perveniat, & tunc omnes obliget.

IV. Ecclesia leges civiles admittit, ubi nec rationi, nec Legibus Canonice adversantur.

V. Non solum pro foro externo, sed nec pro interno leges obligant ante lapsum sive duorum mensium a promulgatione, sive alterius temporis congrui.

VI. Idque verum est etiam de legibus aliquem contractum irritantibus.

VII. Necnon de legibus revocatoriis Privilegiorum. Quod extenditur ad revocationes Procuratorum, quorum gesta (dempto Matrimonio) valida sunt, donec revocatio iis innotuerit.

VIII. Si de novo aliquis casus referretur, absolutio collata ex ignorantia talis reservationis est invalida.

IX. Sicut privilegii revocatio debet innotescere persone privilegiata, ut habeat effectum suum; ita pariter concessio privilegii.

X. Privilegium Communitati concessum, si huic innotescat, validum est etiam relate ad personam particularem ignorantem illud.

I. **I**N Authentica, quæ incipit, *Ut facta novæ Constitutiones*, dicuntur constitutiones non valere, nisi post duos menses a promulgatione. Hinc nonnulli apud Farinac. & Pal. putarunt, non solum leges Imperatorias, de quibus ibi est sermo, sed etiam Constitutiones Pontificias, & Regias, & cujuscunque Principis supremi requirere lapsum duorum mensium a publicatione, ut incipiant obligare; Quam opinionem esse communem asserit Martin. Becan. part. 6. tract. 3. cap. 6. quæst. 7. conclus. 1. Ratio est, quia ubi jus Canonicum nihil disponit, servandum est jus Civile, si bonis moribus non repugnet; nam in cap. 1. De novi operis nuntiatione dicitur: *Sicut leges non dedignantur*

itur Sacros Canones imitari, ita Sacrorum Canonum Statuta Principum Constitutionibus adjuvantur. Ex quo argumento deducunt, debere etiam leges Pontificias, sicut Imperatorias in singulis Provinciis promulgari, ut obligent; Et utramque opinionem ut probabilem admittunt plures apud Suar., & Sal. disput. 12. sect. 3., & Dian. part. 1. tract. 10. resol. 9.

II. Sed communiter Doctores docent, leges Pontificias statim post promulgationem Romæ factam esse validas; quia Pontifex non arctatur legibus Civilibus; Idque constat ex usu; Cum enim contentus sit, Bullam Cœnæ in sola Curia Romana publicari, ut velit statim illam obligare, constat nolle acceptare Authenticam illam, tum quoad promulgationem legum in singulis Provinciis faciendam, tum quoad lapsum duorum mensium post promulgationem, ut incipiant obligare; Immo aliquando voluit Pontifex Bullam aliquam obligare ante duos menses, aliquando ultra duos menses a promulgatione, aliquando statim. Nam in cap. *Cum singula, de Præbendis in 6.* dicitur: *Circa eos, qui plures Prioratus, vel Ecclesias habent, volumus, ut infra mensem, postquam præsens constitutio ad eosdem pervenerit, unum ex ipsis, quem retinere voluerint, reliquis dimissis, eligere teneantur.* Et Pius IV. anno 1564. in Evulgatione Tridentini trium mensium spatium assignavit post promulgationem ad obligandum; Bulla vero Cœnæ, & aliæ hujusmodi, quæ non habent determinatum tempus ad obligationem, statim obligant, ex Navar. & Pal.

III. Notavit tamen Pius IV. in Bulla super tempore obligationis Concilii, jure communi sancitum esse, ut constitutiones novæ vim non obtineant, nisi post certum tempus; Unde fit, quod quando in constitutio-

nibus novis non præfigitur tempus determinatum ad obligandum, intentio Pontificis sit, quod non obligent, nisi post tempus, quod prudentium judicio requiritur, ut notitia novæ legis ad communitatem perveniat; Et ideo docuit Suar. ex Cajet., quod si quis per revelationem ante tale tempus notitiam haberet legis jam promulgatæ, non teneretur illam servare. Quamvis autem requiratur aliquod tempus jure communi, ut obligent leges novæ; tamen Ecclesia non tenetur servare jus Cæsareum, quod scilicet per spatium duorum mensium non obligent; cum possit hoc tempus coarctare, vel dilatare.

IV. Ad rationem in contrarium respondet Pal., acceptari quidem ab Ecclesia leges Civiles, quando nec repugnant rationi, nec adfunt leges Canonicae, quibus tales causæ decidi possunt; hujusmodi enim acceptatio fuit moraliter necessaria; quia nulla aptior regula ad lites decidendas, quam lex civilis, quando lex Canonica deficit. At in modo ferendi leges suas Ecclesia non debuit servare modum præscriptum a legibus Civilibus; immo ex usu constat, talem modum noluisse servare.

Quod diximus de legibus Pontificiis, dicendum a fortiori de legibus Regis, & alterius supremi Principis, qui leges Imperatorias servare non tenetur; ut notant Sal., & Vasq. apud Bonac.; liberum quippe est illis in modo ferendi leges, vel nullum tempus requirere ad obligandum post promulgationem, vel aliud spatium, quam duos menses; quamvis non possint transgressores legum puniri, si constet, moraliter non potuisse eam notitiam adhuc ad illos pervenire; Verbi gratia, si feratur Romæ lex mense Januario, non potest puniri in Indiis, qui illam transgreditur mense Februario; quia non potuit

tuit intra tam breve tempus illuc devenire notitia talis legis. Dixi, a fortiori, quia non obstat pro legibus Regiis ratio adducta pro legibus Pontificiis. Ratio itaque a priori est, quia obligatio legis pendet ab intentione Legislatoris; ergo nisi hic exprimat, quod nolit obligare, nisi post duos menses a promulgatione, (ut explicavit Imperator in illa Authentica) censetur, quod velit obligare statim. Ita Suar., Sal., Vafq., & alii contra Valent., Reginald., Navar., Sa, & alios probabiliter putantes, quamcumque legem sive Imperatoris, sive Papæ, sive Regis, aut alterius Supremi Principis non obligare, nisi post duos menses a promulgatione: Si tamen non expriment se velle statim obligare; quia, nisi aliud expriment, censentur velle leges ferre juxta modum ab Imperatore in Authentica præscriptum, qui est valde rationi consonus, non solum ut ignorantes non ligentur, sed etiam ut omnes simul obligari incipiant, & sic vitetur omnis confusio, rixa, & imparitas subditorum, si alii ante alios obligarentur; Quod si Judices Romæ non procedant juxta hanc sententiam, non hinc sequitur, quod sententia ista careat sua auctoritate, & probabilitate.

V. Rogabis primo; Num lapsus duorum mensium post promulgationem requiratur, ut leges obligent pro foro externo, an etiam pro interno; unde qui ante tale tempus haberet notitiam legis promulgatæ, præsertim Imperatoris, teneretur in conscientia illam servare.

Respondeo, probabiliorem esse sententiam Suar. lib. 3. cap. 18., num. 5., quod ante lapsum duorum mensium nulla sit obligatio in conscientia; Cum enim in Authentica, *Ut Nova Constitutionis*, dicatur, quod valeant novæ Constitutiones post duos

menses, clare sequitur, quod ante lapsum hujus temporis nullam vim habeant; unde non obligent in conscientia.

Adde ex Suar., quod lex civilis cum nolit obligare pro foro externo ante lapsum duorum mensium, a fortiori non vult obligare pro foro interno; quia per se primo intendit obligationem politicam, & externam, & solum secundo internam in ordine ad illam.

Demum, ut diximus ex Bulla Pii IV., jure communi sancitum est, quod novæ leges vim non obtineant, nisi post certum tempus; ergo si vim non habent, neque obligant in conscientia.

VI. Rogabis secundo; An saltem requiratur lapsus alicujus temporis post promulgationem ad valorem legis irritantis aliquem contractum?

Respondeo, leges, ut rationabiliter fiant, debere aliquod tempus post promulgationem præfigere, ut incipiant obligare; aliter essent plenæ periculis, ut loquitur Sotus; non essent utiles Communitati, ut loquitur Salas; essent irrationabiles, ut loquitur Molina; & videntur aliquo modo pugnant cum jure naturali, ut loquitur Suar., Nam si, verbi gratia, lex prohibens Matrimonium clandestinum irritaret matrimonium statim post promulgationem, multæ Virgines, quæ ignoranter contraherent, paterentur grave damnum, si cogerentur deinde contractum rescindere. Quare licet aliqua lex irritatoria posset ita ferri, ut statim obliget, verbi gratia, lex irritans collationem beneficiorum factam illegitimis, quia hinc nulli damnum sequeretur; leges tamen irritatoriae contractus cum damno plurimorum non debent ita ferri, ut statim obligent; Proinde nisi Pontifex exprimat tempus, quo velit, ut incipiant obligare, interpretanda est benigne mens

Le-

Legislatoris, quod scilicet velit, ut incipiant obligare statim post promulgationem factam in singulis Provinciis, seu Archiepiscopatibus, vel post lapsum duorum mensium a promulgatione; Nisi quis vellet dicere cum nonnullis, quod saltem ex benigna Legislatoris mente non irritent hujusmodi leges contractus, nisi illorum, qui vel habuerunt, vel humano modo habere poterunt notitiam talium legum, etiamsi in lege dicatur, quod statim obliget.

VII. Quod dictum est de legibus irritatoriis, dicitur etiam de revocatoriis privilegiorum, & Indulgentiarum, quæ vim non habent, nisi facta sufficienti promulgatione; aliter grave damnum sequeretur, si, verbi gratia, privilegium eligendi Confessarium revocaretur, & lex ista revocatoria haberet effectum suum, antequam posset ad notitiam privilegiati pervenire; Immo quia favores sunt ampliandi, ideo non censentur revocata Privilegia, & Indulgentiæ, nisi post promulgationem, & insinuationem factam iis, ad quos pertinet.

Similiter quod dictum est de legibus revocatoriis, extendi etiam debet ad revocationes Procuratorum, quæ non habent suum effectum, antequam sint ipsis intimatæ, ex leg. *Si mandasset ff. Mandati*; Unde acta Procuratoris ignorantis suam revocationem sunt valida; excepta celebratione matrimonii, quod debet esse maxime voluntarium, & ideo est irritum, si fiat per Procuratorem ignorantem suam revocationem, ex leg. *Si pariter ff. de ritu nuptiarum*, apud Sanch. lib. 1. disp. 11.

VIII. Notandum tamen hic ex Vasq. quod ad hoc ut revocetur privilegium personæ particulari factum, debeat illi insinuari revocatio; Contra, ut revocetur privilegium factum Communitati, satis sit, quod revocatio innotescat ipsi Communitati; Unde si quis,

verbi gratia, post promulgationem decreti Tridentini sess. 23. cap. 15., quod nemo confiteatur, nisi Sacerdoti approbato, confiteretur Sacerdoti non approbato, confessio esset irrita, quia lex revocatoria consuetudinis satis est, ut promulgetur Communitati. Ex quo etiam Vasq. infert, quod si reservetur de novo aliquis casus, absolutio collata ex ignorantia talis reservationis sit invalida; unde tenetur penitens iterum peccatum illud confiteri, si deinde sit conscius talis reservationis factæ, & publicatæ Communitati, antequam bona fide confiteretur.

IX. Ex hac doctrina resolvitur etiam celebris illa quæstio, An scilicet sicut revocatio privilegii debet innotescere personæ privilegiatæ, ut habeat effectum suum, ita prima concessio privilegii debeat etiam innotescere illi, cui conceditur, ut possit illo uti.

Ad quod respondetur affirmative cum communiore apud Sal. disp. 12. sect. 8.; Præsertim, ut advertit Vasq., si privilegium habeat vim dispensationis; Ut si quis petat privilegium contrahendi Matrimonium in gradibus prohibitis, & post obtentam dispensationem contrahat, antequam habeat notitiam certam talis dispensationis, matrimonium sic celebratum esset irritum, nisi aliter constaret de mente Pontificis; Quicquid in contrarium dicit Sal. loc. cit. Ratio est, quia sicut lex debet innotescere Communitati, ut sit valida, ita privilegium debet innotescere, & suo modo promulgari personæ, cui conceditur, ut effectum suum sortiatur.

X. Unde patet disparitas, quod si impedimentum illud tolleretur non per privilegium, seu dispensationem factam personæ particulari, sed per legem respicientem Communitatem, tunc si persona privata contraheret matrimonium cum tali impedimento igno-

ignorans talem legem; licet peccaret, valide tamen contraheret; Ratio est, quia ad valorem legis satis est, ut promulgatio innotescat Communitati, seu majori parti Communitatis, non singulis. Contra vero, ad valorem privilegii concessi personæ particulari requiritur, ut illi innotescat.

ARTICULUS VI.

De Acceptatione Legis.

- I. *Leges universim ferri solent sub tacita conditione, quod acceptentur.*
- II. *Peccat tamen Communitas, si citra justam causam legem non acceptat.*
- III. *Lex acceptata cessat obligare, si a majori parte Communitatis non observetur. Sed quodnam tempus requiritur ad legem per desuetudinem abrogandam?*
- IV. *Num possit Legislator obligare subditos rennentes legem acceptare? Et quando id possit, aut velit?*
- V. *Quid veniat hac in re nomine Communitatis, a cuius majori parte debeat lex acceptari, ut obliget?*
- VI. *Lex a principio non acceptata, si successu temporis acceptetur, tunc obligat.*

I. **E**st pariter legis conditio, ut sit usu recepta, seu acceptata a majori parte Communitatis; non quæsi vero Legislator, & præsertim Pontifex, qui non a Populo, sed a Christo Domino potestatem habet ferendi leges, non possit illas ferre independentem ab acceptatione Communitatis; sed quia universim etiam a Pontifice leges sub hac tacita conditione ferri solent, quod a Communitate acceptentur; id enim videtur consonum benignitati Legislatorum, ne nimis onerosi videantur subditis suis: Unde in leg. de quibus ff. de legibus hæc

Pars I.

habentur: *Leges nulla alia de causa nos tenent, nisi quod iudicio populi recepte sunt:* Et idcirco communiter docent, Matrimonium clandestinum esse validum, ubi Tridentinum non est acceptatum; quia lex Tridentini non obligat, ubi non est a majori parte Communitatis acceptata, eo quod Pontifex ex sua benignitate sub ea tacita conditione leges Tridentini tulerit, quod scilicet a majori parte populi acceptarentur.

II. Certum tamen est, quod si subditi legem aliquam sine ulla rationabili causa nolent acceptare, peccarent, ut constat ex propof. 48. damnata ab Alex. VII., quæ dicit: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam;* Et ideo procul dubio peccarunt primi illi, qui in Gallia leges Tridentini sine rationabili causa acceptare noluerunt. Cum autem nunc non sint ibi acceptatæ, & Pontifex nolit, quod obligent, ubi non sunt acceptatæ, ideo de facto in Gallia Leges Tridentini non acceptatæ non obligant; Et communiter docent, quod ibi Matrimonium clandestinum quamvis esset illicitum, esset tamen validum, nisi lex ista Tridentini fuisset postmodum acceptata jussu Regio jam ab anno 1602., ut habet Lessius in Auctar. V. Sponsalia. Tunc autem dicitur lex aliqua non esse acceptata, seu recepta, quando major pars populi prosequitur facere, quod prius facere consueverat ante legis promulgationem; idque verum est, sive Populus sciat legem promulgatam esse, sive ignoret, ut notant Suar., Sal., Bonac. & alii communiter: Contra vero dicitur lex acceptata, quando major pars populi illam observat, aut approbat verbo, vel scripto, vel saltem illam non rejicit, aut improbat; Nam lex aliqua potest aliquando non observari, quia non accidit casus; ea tamen

C ob.

obligat, si non rejiciatur, aut improbetur a majori parte Communitatis; quia desuetudo, seu non usus nihil facit contra legem, quando casus non accidit; & sola consuetudo in contrarium sui usus contra legem abrogat legem.

III. Sicut autem lex, quae a principio non acceptatur, non obligat, ita pariter lex, quae fuit a principio acceptata, si deinde incipiat non observari a majori parte Communitatis, cessat obligare: Sicut enim per consuetudinem nova lex introducit; ita per desuetudinem vetus lex abrogatur. Quid autem requiratur, ut lex per desuetudinem abrogetur, dicemus infra cum de consuetudine; Alii enim cum Panorm., Bartol., & Rodriq. apud Sal. disp. 13. sect. 6. putant, quod ut lex vim amplius non habeat, satis sint duo, vel tres actus legi contrarii, sciente, & tolerante Legislatore, vel quod per decennium communiter non servetur Principe ignorante; unde decreta Conciliorum generalium, si per decennium in aliqua Provincia non serventur, amittunt ibi vim suam. Alii apud Sal. loc. cit. sect. 2. verius docent, nullum certum tempus requiri, ut desuetudo, seu non usus legem abroget; quia nullum est jus, quod illud praescribat, sed satis esse, tot actus legi contrarios fieri a majori parte Communitatis, sciente, & tolerante Legislatore, ut praesumatur, Legislatorem velle, ut lex amplius non obliget; Si enim vellet obligare, urgeret, ut servaretur, posito quod commode id facere possit. Immo etiam quando habetur ignorantia Principis, non requiritur decennium; quia ad derogandum legi satis est voluntas habitualis Principis, quod nolit obligare contra morem, ex *Cap. 1. de Consuet. in 6.*; quamvis autem decennium satis sit, at non requiritur; cum nullum jus il-

lud praescribat; & usus videtur esse in contrarium; cum non soleat illud tempus expectari, sed satis sit, quod a majori parte Communitatis per actus sufficientes legi repugnatum sit. Alii demum cum Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 4. quaest. 4. docent, legem Canonicam usu receptam non tolli contraria consuetudine, nisi quadraginta annis continuata, quamvis legem Civilem abroget contraria consuetudo decem dumtaxat annis continuata; Sed hac de re fusius quaest. 6., ubi de Lege non scripta, seu de Consuetudine.

IV. Quaeritur nunc primo, an possit universim Legislator legitimus velle obligare subditos, etiam si legem non acceptent?

Respondeo, aliquos cum Valent., & Navar. apud Sal. loc. cit. probabiliter negare; quia lex, quae non est in commune bonum, non est valida; lex autem, quae sic fertur, non est in commune bonum; magnam enim excitare possit in populo perturbationem. Confirmatur, quia potestas data a Christo Domino Pontifici ad leges condendas, est data, ut loquitur Apostolus, *in aedificationem, non in destructionem*; Si autem velit obligare Communitatem contradicentem, non uteretur sua potestate in aedificationem; nam exerceret illam cum periculo animarum. Princeps vero secularis habuit potestatem a Populo; Populus autem potuit dare illi potestatem condendi leges sub ea conditione, quod major pars Communitatis non contradicat, & ita data esse videtur ex usu; & sic eam dari, videtur expedire ad bonum commune, quia nullum majus signum de convenientia legis, quam acceptatio populi.

Secunda sententia asserit, talem acceptationem requiri solum in lege civili, eo quod Rex accipiat suam potestatem a populo; non vero in Ec-

cle-

clesia, eo quod Pontifex habeat potestatem a Christo Domino.

Communititer tamen docent, non solum Pontificem, qui potestatem condendi leges a Christo Domino habuit, sed etiam Principes seculares, qui potestatem hanc habent a populo, habere vim obligandi Populum independentem ab ejus consensu. Ita Suar., Vasq., Sal., Lorca in prim. part. disp. 20., ubi hæc habet: *Sententia hæc est evidens, nec opposita percipi potest, si enim liberum esset populo dissentire, & leges respuere, non essent subditi, nam voluntate, non necessitate parerent.* Ratio itaque est, tum quia alioquin major esset potestas in populo, quam in Legislatore, eo quod Populus posset potestatem Legislatoris impedire; Et valde debilis esset potestas Pontificis, ac Principis, si non posset obligare ad parendum legi, nisi sub conditione acceptationis, seu non repugnantia; quam enim superioritatem haberet, si non posset Communitatem obligare, nisi ipsa volente? Tum etiam quia hinc sequeretur non posse Pontificem, & alios Principes cogere populum ad acceptandam legem aliquam rationabilem iustam, & bono publico convenientem; quod nemo dixerit; cum constet usum, & consuetudine puniri eos, qui legem promulgatam non acceptant. Quare licet non soleant Principes, & Pontifex ex propria benignitate velle obligare populum, nisi legem acceptet, possunt tamen independentem ab acceptatione velle illum obligare; Et præsertim Principes, qui Regnum jure belli acquisierunt; tunc enim Principes non habent auctoritatem a Communitate, atque adeo ferre possunt leges cum omnimoda independentia ab illa.

Confirmatur, quia ex *cap. de Licentibus 23. quest. 1.* Princeps habet plenissimam vim coercitivam erga sub-

ditos independentem a populi voluntate; ergo habet etiam similem vim præceptivam; quia intantum potest Princeps subditos coercere, & punire, in quantum potest illos obligare; unde eadem independentia requiritur, ut possit obligare, seu ferre leges, ac ut possit coercere, seu punire legum transgressores.

Ad rationes in contrarium adductas respondetur, requiri quidem ad valorem legis, quod respiciat commune bonum materia præcepta, sed non requiri, quod Populus illam acceptet; Nec quia sequitur perturbatio in Communitate ex lege non acceptata, ideo sequitur, quod materia præcepta non respiciat bonum commune, atque adeo lex non obliget. Adde, quod major perturbatio sequeretur in Communitate, si posset populus ad arbitrium legem acceptare, quam si aliquando cogatur ad legem acceptandam; & ideo potestas data a Christo Domino Ecclesie condendi leges independentem a populi acceptatione data est in ædificationem, non in destructionem. Non negaverim tamen, quod Legislator non debeat ea potestate uti, quando prævidet inde probabiliter futurum grave scandalum; & ideo præsumendum est ex benigna mente Legislatoris, quod semper velit legem arduam ferre sub tacita conditione, quod acceptetur, quando lex est ardua, & difficilis: Dupliciter enim potest lex non obligare, si non acceptetur; vel ex defectu potestatis, vel ex defectu voluntatis in Legislatore obligandi Communitatem, quæ repugnat; Quamvis ergo detur potestas, certe universim non præsumitur dari voluntatem in Legislatore obligandi ad leges arduas Communitatem independentem ab acceptatione legis. Proinde bene notat Suar. quod quando lex præcepta est ardua, & difficilis, potest esse vera sententia plurium Ca-

nonistarum in *cap. 1. de Tregua, & pace*, quod non obligent leges, nisi acceptentur; praesertim si sint contra populi consuetudinem, aut privilegium; Verbi gratia, si contra privilegium per legem imponantur tributa: In his enim casibus poterit per Episcopum lex non servari, & interim humiliter instari apud Legislatorem, ut legem revocet, exponendo causas, ut docent Suar. l. 4. cap. 16. Sal. disp. 18. sect. 4., Salon., Bonac. punct. 6. num. 42. & alii; quia praesumitur talis voluntas Legislatoris: Quod si ad hujusmodi supplicationem Princeps taceat, neque confirmando, neque revocando legem, ex Sal. cenferi poterit lex revocata, nisi oppositum constaret aliunde: Quando tamen leges sunt suaves, & moderatae, debent omnino acceptari, & peccant, qui incipiunt illas non servare oblata occasione; quamvis deinde si populus persistat in lege non servanda, possit praescribere, videlicet ut lex non amplius obliget; Et ideo lex Tridentini irritans matrimonium clandestinum non obligat, ubi Tridentinum non est receptum.

Instabis; in *leg. de quibus ff. de Legibus* habetur, quod leges nulla alia de causa nos tenent, nisi quod iudicio populi sunt receptae; Et Philosophus 2. *Politicorum cap. 6.* docet, legem nullam vim habere, ut pareatur, nisi ex more; qui tamen non fit nisi temporis longitudine: ergo lex, nisi acceptetur, non obligat.

Confirmatur, quia Gratian. *cap. In istis dist. 4.* dixit; quod leges instituantur, dum promulgantur, firmentur autem, cum moribus utentium approbantur. ergo ut prius.

Respondeo haec in eo sensu intelligenda esse, quod leges obligent ex institutione, & promulgatione ipsarum, ita tamen, ut si consuetudo contra illas praevaleat, abrogentur,

& definant obligare; ut infra dicemus; Unde acceptatio populi deservit, ut non abrogentur, non vero ut a principio obligent.

Ad confirmationem Archidiacon. respondet, firmari Leges moribus utentium firmitate facti, non juris; quia obligatio legum habetur ab institutione, & promulgatione; deinde continuationem, & firmitatem habent a consuetudine; si enim consuetudo sit contra legem, lex abrogatur.

V. Quæritur secundo, quid veniat nomine Communitatis, quando dicitur, quod lex acceptari debeat a majori parte Communitatis?

Respondeo cum Bonac., Azor. dub. 35. num. 10. nomine Communitatis non venire Communitatem universalem complectentem plures Communitates, ad quas lex fertur, sed venire quamlibet Communitatem particularem: Verbi gratia, si Imperator ferat legem aliquam pro omnibus suis Provinciis, ut obliget singulas Provincias, debet a majori parte singulorum Provinciarum acceptari, & non satis est, quod a pluribus Provinciis acceptetur; Unde si a majori parte unius Communitatis, non alterius acceptetur, illam tantum Communitatem obligabit, non alteram. Hinc, ut lex Tridentini obliget in Hispania, & non in Gallia, satis est, quod sit recepta in majori parte Hispaniae, & non Galliae, & in Hispania obligaret, etiam si per reliquas Orbis partes non esset acceptata, & non obligaret. Quomodo autem Communitas particularis determinanda sit, iudicio prudentum stabiliendum ex Valent. Nam si lex aliqua aequè respicit, verbi gratia, omnes religiones, si a majori parte religionum non observetur, non tenentur aliae religiones ad illam servandam; Et si lex aliqua aequè est iusta, utilis, & conveniens omnibus Provinciis, tunc si major pars Provin-

ciarum illam non acceptet, non tenentur alia acceptare, ut notat Sal. lib. 6. ; quia non tenentur ipsa sola portare pondus legis, quando non est major ratio, cur ipsa potius, quam alia obligentur; Contra vero, si sit peculiaris utilitas, necessitas, vel possibilitas, ut observetur in una potius, quam in altera parte Communitatis universalis, tunc singulae illae partes constituunt unam Communitatem particularem; ita ut satis sit, quod a majori parte illius Communitatis particularis acceptetur, ut obliget.

Sicut autem lex potest obligare unam Provinciam, a qua acceptatur, non aliam; ita potest obligare secundum unam ejus partem, secundum quam ipsa lex acceptatur, non secundum aliam. Hoc pacto notat Navar., Extravagantem illam Pauli H. *Ambiziosa* de non alienandis rebus Ecclesiasticis, in aliquibus Diocesisbus Hispaniarum obligare solum secundum nullitatem contractus in ea prohibiti, non vero secundum poenam excommunicationis; quia solum prior illa pars legis est ibi acceptata. Ratio est, quia eadem est proportio totius ad totum, ac partis ad partem; & quod dicitur de toto, dici etiam proportionaliter debet de parte, ex leg. *Quae de tota ff. de rei vindicatione*; ergo si non usus, seu non receptio totius legis suspendit obligationem totius legis, pariter non usus, seu non receptio partis legis suspendit talis partis obligationem.

VI. Quæritur tertio, An sit valida lex, quæ a principio non fuit acceptata, si postea successu temporis acceptetur?

Respondeo affirmative; quia lex per non acceptationem non fuit extincta, sed quodammodo suspensa, atque adeo potest obligationem parere, si acceptetur: Unde fit, non

esse idem, legem esse revocatam, seu abrogatam, & legem non esse acceptatam; Nam per revocationem, seu abrogationem extinguitur; per non acceptationem vero veluti consopitur, & suspenditur; Non secus ac si ratione alicujus impedimenti, verbi gratia ignorantia, aliquando per accidens non obliget, eo sublato, incipit obligare; Quis enim dixerit, quod lex ignorata in actu primo non obliget? Idem itaque dicendum est de lege nondum acceptata, quod scilicet obliget in actu primo, & post acceptationem obliget in actu secundo; sicut lex ignorata, adveniente ejus notitia, obligat etiam in actu secundo.

ARTICULUS VII.

De Perpetuitate Legis.

- I. *Leges prout a praeceptis distincta debent semper perdurare, donec revocentur.*
- II. *Præceptum respicit bonum persona privata, & expirat morte præcipientis; Lex vero respicit bonum commune, & est perpetua.*
- III. *Mandatum continens commissionem jurisdictionis non expirat morte Mandantis, si res non sit integra.*
- IV. *Mandatum testatoris, utpote domini proprietatis, non jurisdictionis, confirmatur potius, quam expiret post ejus mortem.*
- V. *Quamvis præceptum generale possit communitatem respicere, & esse perpetuum, non secus ac Lex, adhuc tamen multifariam differt a Lege.*
- VI. *Potest Legislator supremus legem ferre, qua præcipiatur, ut præcepta Superiorum inferiorum non expirent morte præcipientis.*

Di-

I. **D**iximus ex Suar., legem esse præceptum commune, justum, ac stabile sufficienter promulgatum; Unde videndum quænam stabilitas, seu perpetuitas legi conveniat.

II. Quæritur itaque primo, An leges omnes debeant semper durare?

Respondeo cum communi; Leges prout distinctæ a præcepto debent obligare semper, nisi revocentur; Quare omnibus legibus competit perpetuitas negativa, quatenus si non revocentur aut per legem, vel per consuetudinem in contrarium, semper obligant; Non omnibus vero competit perpetuitas positiva, ita ut semper debeant actu obligare; sed solum legibus a Christo Domino latis in lege Evangelica, quæ usque ad diem iudicii obligabunt. Ratio, cur debeat legi perpetuitas competere, est, tum quia id constat multis juribus, & consuetudine legum humanarum; tum etiam ratione, Primo, quia est necessaria ad finem legum perpetuitas; aliter haberetur quotidiana mutatio in Republica cum magno damno Communitatis: Secundo, quia Papa potestatem habet condendi leges a Christo Domino, qui nunquam moritur, & voluit, ut legibus Vicarii sui obtemperetur, non secus ac suis: Princeps vero potestatem habet condendi leges ab ipsa Communitate, quæ semper pariter in ratione Communitatis perseverat; ergo leges tam Canonica factæ a Papa, quam Civiles latæ a Principe possunt, & debent ita ferri, ut nunquam extinguantur, donec revocentur.

Quare hanc assignant communiter Doctores disparitatem inter Legem latam per modum Constitutionis, & Præceptum latum ab homine per modum personalis Præcepti; quod scilicet Præceptum superioris solum debeat respicere bonum personæ particularis, cui imponitur, & non

commune: Contra Lex respicere debet bonum Communitatis, non singulorum, quibus imponitur: Præterea præceptum expirat morte præipientis, non vero lex. Unde Silvest. V. *Mandatum* quaest. 3. ait, *Præcepta expirant morte præipientis, nisi fiant per modum Constitutionis, ut consuetudo interpretatur.* Hinc quia Bulla Cœnæ olim ferebatur pro unotantum anno, tunc illius Censuræ reputabantur esse ab homine, non a Jure; quia vero a tempore Pii V., Gregor. XIII., & Sixti V. eadem Bulla lata est, donec revocetur, & solum quotannis renovatur, ideo nunc, ut notat Navar., ejus Censuræ reputantur a Jure.

III. Notandum tamen, quod mandatum, per quod datur commissio Jurisdictionis, tunc expirat morte mandantis, quando res est integra, seu quando non est incepta causa, seu commissio delegata; Quod si res non sit integra, seu si causa sit incepta, non expirat morte mandantis, sed donec causa perficiatur, perseverat: Exempli gratia, si mandatum, vel facultas data sit Confessario audiendi confessionem talis Pœnitentis, non expirat mortuo, vel amoto mandante, si cæpta jam sit confessio, donec perficiatur: Si tamen mandatum non contineat commissionem jurisdictionis, semper expirat morte mandantis, etiam si res non sit integra; V. G. mandatum de danda elemosyna, etiam si latum sit sub censura, expirat morte mandantis, quamvis res sit cæpta impleri, ut notat Sal. disp. 1. sect. 9. num. 62.

IV. Solum mandatum Testatoris non expirat, sed potius confirmatur post ejus mortem, etiam si res integra sit, ex *leg. 1. ff. de Testamentis*; quia Testator mandans non se habet ut Superior, seu dominus jurisdictionis, sed ut dominus proprietatis disponens de rebus suis,

suus, sicut qui mandat largitionem elemosynæ: In hoc enim differt dominus proprietatis ab eo, qui dominium habet jurisdictionis, seu a superiore, quod dominus proprietatis possit præcipere ea, quæ respiciunt bonum proprium, quamvis sint in gravamen aliorum; Contra Superior solum præcipere potest, quæ spectant ad bonum Communitatis. Sententia pariter iudicis post hujus mortem perseverat, quia est veluti lex, & hoc expedit ad bonum publicum, ne delicta maneat impunita.

V. Quaritur secundo, An sicut leges omnes de se sunt perpetuæ, ita præcepta omnia sint ad tempus, & expirent morte mandantis?

Respondeo aliquos putasse, quod omnia præcepta facta Communitati de se sint perpetua, & habeant rationem legis; Contra tamen præcepta omnia facta personæ particulari habeant rationem præcepti, & expirent morte mandantis; quia præceptum, quod fit communitati, fit nomine communitatis, quæ semper durat, & respicit bonum commune; præceptum vero factum personæ particulari respicit bonum illius, quod non semper durat; Et (ut loquitur Vasq. part. 2. disp. 151. cap. 2.) imponitur a superiore ut habente curam illius, cui præceptum imponitur, atque adeo non imponitur nomine Reipublicæ, sed nomine proprio ipsius superioris, quatenus ad ipsum spectat cura singulorum; quæ cura cum expiret morte, vel mutatione superioris, ideo etiam præceptum tunc cessat. Sed verius, & communius Doctores docent, quod tam præcepta, quam leges possint respicere Communitatem, & quod utraque possint esse stabilia, & perpetua; Si enim potest supremus Princeps sua lege obligare Communitatem perpetuo, quare non poterit perpetuo etiam obli-

gare suo præcepto personam particularem, itaut morte præcipientis non expiret præceptum, sed duret quousque ab alio superiore revocetur? Ideo enim potest Communitatem perpetuo obligare, quia Communitas Principi, & Christus Dominus Pontifici dedit potestatem perpetuo obligandi Communitatem; atqui non est ratio, cur non possit dici, quod iisdem data sit etiam potestas obligandi perpetuo personam particularem: ergo potest ferri præceptum perpetuo durans a Principe supremo, qui scilicet habeat potestatem dispensandi in jure communi, vel Regni. Quamvis id non possit fieri a Principe inferiore, qui debet præcipere juxta jus commune, quod fert, ut præcepta morte præcipientis expirent.

Dices; non differret præceptum a lege, si tam præceptum, quam lex possent respicere Communitatem, & perpetuo durare.

Respondeo negando sequelam; differrent enim primo, quia præceptum jure communi, & natura sua expirat morte præcipientis, non vero lex: Secundo, quia præceptum potest respicere particulares personas, lex vero essentialiter respicit Communitatem: Demum præceptum generale respiciens Communitatem differt a lege, quia lex est illa, quæ fertur per modum statuti, seu constitutionis, & respicit Territorium, atque adeo, ut notat Panormit. apud Sal. disp. 14. sect. 4., obligat etiam forenses; Contra vero præceptum generale obligat solum cives; Et nisi oppositum exprimat Supremus Princeps, natura sua expirat mortuo, vel amoto præcipiente. Unde censura lata a jure, seu a lege semper durat; Censura vero lata ab homine per generale mandatum, seu per generalem sententiam (ut erat Bulla Cœnæ ante Pium V., & Gregor. XIII.) morte mandantis
ex.

expirat. Quamvis autem Episcopus, ut infra dicemus, possit leges ferre, non solet tamen eas ferre extra Synodum, & Archiepiscopus non potest leges ferre pro tota Provincia, nisi de consilio, & voluntate omnium Episcoporum Comprovincialium.

VI. Ex dictis sequitur, quod possit Papa legem ferre, qua præcipiat, ut præcepta Inferiorum, scilicet Episcoporum, vel Prælatorum regularium non expirent morte præcipientis; in quo casu mortuo præcipiente quilibet teneretur servare præ-

cepta, non vi ipsorum præceptorum, sed vi legis universalis: Sicut si feratur lex, quod quilibet teneatur obedire suo Magistro, vel Confessario, in tali casu præcipiente Magistro, vel Confessario, quilibet teneretur obedire, non vi talis præcepti, quod cum non esset a Superiore, non obligaret; sed vi legis universalis, quæ obligat ad obediendum præceptis magistri, vel Confessarii, quamvis non habentis ullam jurisdictionem extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Q U Æ S T I O II.

Quænam sit legis materia, & Quinam possit leges ferre?

Progredimur ad discutiendas causas Legis, & Primo inquirendum, quænam universim sit legis materia; & præsertim Num possint lege humana præcipi actus indifferentes, aut actus mere interni? Deinde quærendum, Quinam possit leges civiles condere? Ac demum, quinam leges Ecclesiasticas?

ARTICULUS I.

De Materia Legis. Præsertim de Actibus indifferentibus, ac de mere internis.

- I. Universim materia legis sunt actiones humana ordinabiles ad bonum commune.
- II. Lex humana præcipere potest actus virtutum, sed non omnes, nimirum valde arduos; ac prohibere potest actus vitiorum, non tamen omnes, cum id non postulet commune bonum.
- III. Cur lex naturalis omnia vitia prohibere possit, & de facto prohibeat, non vero lex humana?
- IV. Quandonam possint actiones moraliter indifferentes præcipi, aut pro-

hiberi?

- V. Lex civilis respicere debet rectam gubernationem, & bonum pacis in populo: Lex vero canonica respicit honestatem operationum, ut conducentem ad finem supernaturalem, & ad bonum animarum.
- VI. Quædam vitia, ut Usura, Perjuria, Blasphemia cur prohibeantur lege civili simul, & canonica, necnon lege naturali?
- VII. Num leges civiles, & canonica imperare aliquando possint actus mere internos?
- VIII. Solum actus interni, qui sunt necessarii ad externos, possunt a lege humana indirecte præcipi, aut prohiberi.
- IX. Ecclesia præcipiendo auditionem missæ indirecte præcipit intentionem audiendi illam; Non tamen punit

gen-